



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ  
Recentiores**

**Hay, John**

**Antverpiae, 1605**

De Collegio Amacvsano Eivsque Residentiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

etiam, omnesque toto itinere, tam in ita quam in reditu, usque sanguinem magna religione se diuerberabant. Inter quos in pedibus incedebant ipse propugnaculi Praefectus & ceteri nobiles. Qui, ut domum reuerrere, habitu mutato, pro more suo uenerunt uisitatum Patrem, de rebus piis audituri, tam hilari & immoto vultu, ac si disciplinam nunquam attigissent. Gentiles haec pœnitentiæ asperitate, concordiaque, & amore Christianorum permoti, aditum ad uerbum Dei sibi patefieri petierunt: quo profecto quadraginta ex iis iam adulti in Christianorum ordinem adscribi uoluerunt.

Filia praefecti, nomine Monica, quae octauo natiuitatis suae baptizata est, & iam uiginti secundum attigit annum, ob uirtutem, doctrinam, & exemplum suorum parentum, semper pietate & honeste, insistens eorum uestigiiis, uixit. Desponsata autem cum adolescente multis donis conspicuo Augustini cognato, qui in bello Coraiano periit, nondum annum ingressa uiginti annorum est uidua: quae si in his partibus aliquod extitisset sanctimonialis canoniū, illud libentissime fuisset ingressa. Et quoniam iuxta illud statum constituerat, quoad fieri posset, se totam dedicare Deo, omnes uestes suas uanas, aliaque multa quae a nobilibus feminis ad uoluptatem seruari solent, misit ad P. Viceprovincialem, humiliter ab eo petens, ut omnia erogaretur in pauperes & egenos: se enim decreuisse, omnia, quae in testamentum referri solent, ut distribuantur post mortem, expendere in uita. Haec domina domus suae habet omne instrumentum sacrum ad sacrum Missae faciendum necessarium; ut quoties eò Pater aliquis profectus fuerit, omnia ibi parata inueniat.

#### DE COLLEGIO AMACUSANO EIVS- QUE RESIDENTIIS.

**I**N Collegio Amacusano hoc anno uixere de Societate uiginti tres, hoc est, sex Sacerdotes, & septendecim fratres. Octiduo elapso anni 95 P. Viceprovincialis quindecim tyrones allegatos Europaeos quinque, & Iaponios decem, cum quibus datum est principium Domui probationis. His accessere fratres ueterati deni, qui confecto studiorum cursu ex usu Societatis tertium probationis annum decurrant. Omnes ergo quadraginta quinque capitum numerum efficiunt.

In Collegio seruetur ordo in Societate consuetus. Fratribus Iaponus, post Humanitatis praelectiones, & Epitomen rerum ad

fidem Catholicam pertinentium auditam, proponitur liber de sectis & erroribus Iaponum, qui dicitur Buppo: ut in disputationibus, quas in dies cum Bonziis aliisque Ethnicis instituunt, eos refellere possint. Ratio quoque legendi libros Iaponicos, formandique characteres traditur, quæ res necessaria est ad communicandum cum externis. Hi fratres Collegij suas item villas singulis attributas habent, ad quas definitis temporibus vadunt, ut homines in doctrina Christiana instruant, & præludio hoc se ad futuras conciones præparent.

Novitij iuxta regulas suas instituunt collationes, certa etiam mortificationum exercitia obeunt, & quicquid in Europa in domibus probationis usitatum est, omnes autem conantur exemplo virtutis alios præire, & sibi ipsi expugnatis cupiditatibus imperare. Tantum hæc inter Christianos novos visere Xenodochia, quia nulla sunt, nequeunt, nec peregrinationes suscipere: sed ea omnia intra priuatos parietes submissionis, mortificationis, & caritatis operibus abundè suppleunt. Omnes quoque exercitiis spiritualibus vacant; idemque multi Patres fratresque ex Residentiis ad renouandum spiritum eodem confluentes faciunt.

Clericis nostris, qui vigesimum attingunt numerum, confectum est Compendium vel summarium fidei Catholicæ, ut maius lumen legis Euangelicæ ex eo acciperent, & ut gentilibus rudimenta fidei tradere, ac Christianos rectius docere possent: est enim ad eorum captum valde accommodatum.

In separata Collegij parte, ut aliàs scriptum est, instituta est officina typographica pro lingua Latina & Iaponica. Hoc anno editus est Catechismus Concilij Tridentini latinè, qui prælegitur in seminario. Prodiit quoque libellus, dictus Contemptus mundi, latinè & Iaponice. Exercitia item P. Ignatij Latinè.

In Collegij huius territorio bis mille & sexcentæ auditæ sunt confessiones, & quatuor homines, adulti supra centum baptizati, & Ecclesiæ à nouo sunt reedificatæ.

Loca quadam nouè decemve milliarium intervallo distita, non paruo labore nostrorum sunt excultra, propterea quòd iter instituendum esset per asperrimas cautes, & loca ipsa longius à se mutuo abessent.